

Peter Eberbach¹⁾ an Vadian.

Olmütz. 1510. August 17.

Klage über langes Schweigen. Bitte um die Ausgabe von Homers Batrachomyomachie. Absicht, nach Leipzig zu gehen. Grüsse.

Salvus sis, mi suavissime Vadiane. Scripseram ad te superioribus diebus, veluti eram pollicitus, de statu meo, atque ut idem tu faceres hortabar. Quod cum non factum sit, vel non redditas esse tibi literas vel certe aliud quidpiam cogor suspicari; ut enim tuum in me animum mutatum verear, nulla ratione persuadere mihi possum. Quam meam de te existimationem ut sacrosanctam custodias rogo. Facile autem custodieris, si, quid agas, quid item Marius et Arbogastes nostri et ceteri eruditi

homines isthinc philosophantes, certiozem me reddideris, iubeasque puerum tuum a studiis, ut, quidquid scripseris, huic meo veteri contubernali, qui doctos non minus amat, quam ipsam doctrinam, commodum ad me perferendum tradat. Præcipue^{a)} autem omnium scire velim, numquid Hieronymus Ligarius, bibliopola vester, Homeri Vatrachos venustioribus typis informaverit. Quod si informavit, ne me precor eorum diutius crucies desiderio^{b)}. Pretium numerabitur. Ut ad me redeam: ad divi Michaelis festa Lipsim concedam. Quod si, dum isthic eram, scivissem, tamdiu me hic subsistere oportuisse, nequaquam in hanc venissem hominum colluvionem. Ubi autem felicibus avibus Lipsim venero, pluribus et frequentius tecum agam; modo intelligam, hunc nostrum chartaceum cavillum esse tibi non ingratum. Quem mihi scrupulum præter te unum eximere Te potest nemo. Marium nostrum et Arbogasten meis et Hieronymi verbis reverenter saluta; abs quo tu quoque salvebis. Vale feliciter. Holomuzæ, XVIII Kalendas Germanicas, anno MDX.

Tuus *Petreius Aperbacchus*.

Amoenissimi ingenii magistro Ioachimo Vadiano, in Flaviana Academia literas interiores docenti, amico carissimo.

a) „precipue“. — b) „desiderio“.

f) Vrgl. zu Brief 2.

1510 Aug. 31. P. Eberbach an V. I Anh. 228 Br. 2. D